


berg
2
18





2. D. B. V.
EXERCITATIO LOGICA
DE

62 40.
23 72.
3/1
SYLLOGISMO

DEMONSTRATIVO,

Qvam

In Electorali ad Albim Academiâ

Sub

P R Æ S I D E

M. JOH. CHRISTOPHORO

FUGMANNO, Beltzigenſi Sax.

*publica eruditorum ventilationi
exponet*

Auctor & Respondens

THEOPHILUS BRUNO,

Golnovienſis Pomeranus,

In Auditorio Veteri

Ad d. 2. Januar. Ann. DC. LXIX.

WITTEBERGÆ, Excudebat Joh. Hake.

1669

942

S. D. A. V.
EXERCITATIO LOGICA
DE

SYLLOGISMO
DEMONSTRATIVO.

Quam
Instituto ad Almam Academiam

RESIDE
ALPHON CHRISTOPHORO

LUGMANNO, Resigend. Sac.

Austriæ & Neapollitanæ
THEOPHILUS BRUNO,

Goltingense Pontificum

Ab d. 1. Junii 1771 DC. LXXI.

WITTEBERGÆ, hinc inde Joh. Lohs

1771

1771



I. N. J.
Procemium.

Iacos intra muros peccatur & extra. Epicurei & Cyrenaici remotam prorsus volebant omnem Logicæ doctrinam, nullam in eâ vim esse adopinantes, neque ad melius vivendum, neq; ad verum investigandum. Academici, Pyrrhonii ac universa Scepticorum gens non minùs Analyticam, quàm omnem sapientiam humanam è medio auferebant: fundamentum eorum narrare est refutare, omnia quæ sub scientiam cadunt demonstrari debere, tanquàm manifestum præsupponebant, quod manifestò falsum. Nam demonstrandi prima principia, quæ sensibus & intellectui sunt clarissima probatione nullâ indigent. Inter omnes constant iniquissimi ausus Petri Rami Veromandui. Quanquam enim non omnes idem iudicium ferant, aliis stupiditatem ejus admirantibus, qui pauca omninò Philosophiæ mysteria cognoverit, & hæc ipsa multis turbulentis corrupta erroribus ad posteritatem propagaverit: aliis fastû reprehendentibus, qui ipse de se crepuerit magnifi-

gnifica, nec alium ducem sequendum putaverit quàm seipsum: conatibus tamen ejus iste infelix respondit eventus, ut omnem Logicæ artisque Apodicticæ dignitatem evertisset, nisi sub finem superioris & initium hujus seculi strenuè obviamitum fuisset.

Contrà plurimos hodie, ne ad prisca recurramus tempora, reperire licet, qui tantùm non omnia demonstratione sibi probari præsumunt. Primis labris hancce doctrinam videntur degustasse, ut quæ opus habeant demonstratione, quæ non, discernere nequeant. Gestiant sese associare Peripateticis, cum in Artibus, Practicâ doctrinâ, ac proinde in Morali Civiliq; Philosophia demonstrationi scientificæ esse locum inconsultò asserant. Fingunt scientiam practicam & praxin scientificam. Quilibet suò abundet judiciò, rectè sentientes aliter judicant. Mediâ tutissimus ibis. Nec nimium nec minimum. Quarundam rerum habentur demonstrationes, quarundam non. De his atq; aliis in præsentia agere animus nobis est. Tu DEUS O. M. conatibus aspira his nostris benigne!

INDEX

INDEX THESIUM.

- I. Dupliciter accipitur demonstratio.
- II. Syllogismi demonstrativi divisio.
- III. Demonstrationum termini.
- IV. Propositionum demonstratarum requisita.
- V. Dividitur ostensivus τῶ δὲ ἰστί in demonstrationem πρώτης & δευτέρας dictam.
- VI. Syllogismi Apodictici τῶ ὄτι natura.
- VII. Ostenditur ubi locum inveniat demonstratio & ubi non?
- VIII. Agitur de demonstratione per impossibile.

I.

DUm de DEMONSTRATIONE dicere constituimus, ante omnia vox enucleanda venit, ut innotescat, qualis illa demonstratio sit, quam intellectam nunc volumus. Nota ejus distinctio in generalem significationem, quatenus complectitur Syllogismum necessarium quemcunq; & speciale, prout scientiam gignit, adeoq; contradistinguitur probationibus ex principiis non demonstrativis: cujus tamen prius membrum ex hoc loco studiosè removemus. Nam cum ex principiis Theologiæ propriis inferitur conclusio Theologica, probatio est summè necessaria immotaq; ac infallibilis veritatis conclusio; nec scientifica tamen, sed fide dignanda. Ita & Jurisprudentia & ars Medica ex vernaculis suis principiis deducunt conclusiones, suò modò necessarias, quæ tamen scientiam non pariunt. Quapropter nugæ agit *Franciscus Bonæ Spei*, quando demonstrationem omnem Syllogismâ Theologi-

ologicum comprehendere fingit, nixus falsâ hypothesi, Theologiam esse habitum scientificum. *Tractatu 9. in libros Aristotelis p. 192.* Enimverò scientia elicit conclusiones ex principiis naturalibus, quemadmodum & unicè librum naturæ præsupponit. Jam ubi dantur principia & conclusiones, quæ omnem sensum atque rationem humanam fugiunt, ibi demonstratio, quæ scientiam gignit, vitiosissimè arguitur. Hos itaque & similes Syllogismos necessarios sub communi seu generali demonstrationum nomine comprehendimus, quoniam non minùs verum atq; scientifici probant ex propriis principiis, & propositionibus, sed speciali sensu ab Apodicticis distinguimus: quandoquidem omnis Apodicticus necessarius est, non tamen omnis necessarius, ut constitit, scientificus: quod & plurimis observatum, qui in doctrina illa occupantur.

II.

Syllogismus igitur Apodicticus seu demonstrativus specialiter sic dictus vel ostensivus est, vel deducens ad impossibile. Ostensivus alius τὸ δῶτι; alius τὸ ὄτι. De singulis ordine agendum. Ostensivus τὸ δῶτι est, qui ex principiis necessariis, primis, immediatis, notioribus, prioribus & causis conclusionis parit scientiam, cur res sit.

III.

Quemadmodum verò omnis Syllogismus suos habet terminos & propositiones, ita & demonstratio: sed termini hîc loci specialem appellationem fortiuntur, strictiusq; accipiuntur; propositionum autem certæ conditiones & requisita peculiariter notanda sunt. Terminus minor h. l. dicitur subiectum atq; id, de quo demonstratur affectio: Major affectio atq; id, quod de Subiecto demonstratur. Medius causa vel principium atq; id, per quod fit demonstratio. Ab Aristotele vocantur tria præcognita, quia suo modo ante demonstrationem cognita esse debent, qui modus præcognoscendi consistit in quæstione quòd sit, & quid sit? Et in specie subiectum præcognoscendum ratione utriusq; quæstionis. Quòd sit incomplexum & absolutum, ante omnia constare debet, non tam ratione temporis præsentis, quàm temporum à naturâ destina-

stinatorum: To quid, non quidem rei, sed nominis ab ipsa etiam quaestione quod sit, supponitur. Debet autem illud subiectum esse necessarium & perpetuum, non contingens seu mutabile, quod per voluntatem hominis se aliter habere potest. Excludimus igitur a) Res singulares caducas, quacunque hora ruinam expectantes. Quae enim non fixam perpetuamque habent essentiam, de iis certi aliquid non licebit pronuntiare, nedum scientificè, ut par erat, demonstrare. Facit hæc illud *Themistii*: **Conclusio demonstrationis perpetua esse debet, neque ulla demonstratio caducarum & dissipabilium rerum simpliciter est futura: proindeque nec scientia. Sed solum ratione unâ, si mentio earum concepta universaliter sit.** S) Res fortuitas Cum enim demonstratio de iis saltem habeatur reb9, quæ sunt necessariae, neque aliter se habere possunt, ad inopinatos eventus minimè est referenda. Præterea de affectione sciendum est, quod sit passio vel attributum, adæquatum ei, cujus attributum dicitur, neque sit primus conceptus neque de primo conceptu, sed potius resultans quid ex primo conceptu. De principiis denique seu causis, quæ duo in præsentia doctrina indifferenter se habent, tenendum, sufficere principia affectionis, per quæ de subiecto demonstretur, non verò necessariò requiri principia subiecti, cum illud sæpè principiis destinatur. Cæterum principium seu causa propter quam res est, vel rigorosa est & realiter causans id, cujus causa dicitur, & ab eodem realiter distincta, vel virtualiter seu ratio inferendi à priori, quæ quidem non causat id, cujus causa dicitur, quoniam illa res nullam causam agnoscit, si quam tamen haberet, sufficiens illa ratio foret, & nulla alia causa talis effectus. Causæ autem demonstrantes sunt efficiens & finis. De efficiente res est manifesta, quam approbant exempla demonstrationum hinc inde propositarum. Neque efficiens tamen, sed & finalis demonstrationis medium est. v. g. *quæritur cur ær sit diaphanus?* re-
spon-

spondetur, ut transmittat lucem. Sed causa internæ, materia scilicet & forma, media demonstrationis esse possunt, prout important nexum necessarium cum effectu. Unde rectè dici solet, per omnia quatuor causarum genera demonstrationem vagari.

IV.

De terminis hactenus. Nunc propositiones sequuntur, quarum i. Condicio NECESSITAS est, cui Aristoteles i. post. Analyticorum c. 4. tres gradus apposuit, ut ostenderet immutabilem convenientiam prædicati cum Subiecto.

Suntque sequentes: καὶ πάντως, καὶ αὐτὸ & καὶ ὅλως πρῶτον.

Καὶ πάντως, vel de Omni dicitur quando prædicatum inest omni subiecto & semper. Attenditur igitur hoc loco & Universalitas & Perpetuitas subiecti, ut prædicatum de omnibus inferioribus omniq; tempore de subiecto subsumere liceat. Nihil nos movent, qui excludunt ab hoc gradu necessitatis propositiones indefinitas, materia enim eandem cū sit necessaria, prædicatum quoq; convenit omni subiecto & semper. Nam ad demonstrandum non propositionum formam perpendimus, sed rerum naturas. Unde ut sit de omni, non pronunciandi forma exigitur, sed rerum naturæ, quæ se se ita habeant. Sive enim omne rationale esse risibiie affirmes addito signo universali, sive sine signo pronuncies, quod ad demonstrandi artificium attinet, parum refert.

Καὶ αὐτὸ vel per se 4. modis dicitur : α) Quando aliquid inest subiecto, ut definitionem ejus ingrediatur : Ex quo patet requiri, ut prædicatum sit de essentia subiecti, adeoque vel genus vel differentia rei, seu remota seu proxima, aut saltem iis aliquid analogum. β) Quando prædicatum est essentiale subiecti consequens, ut quantitas respectu materiæ. Etiam si enim quantitas nihil faciat, ad materiæ essentiam, eandem tamen semper concomitatur. γ) Quando in prædicato significatur per se existentia de subiecto, quod tamen huc non facit. Est enim modus perfectior non prædicandi sed essendi. δ) Quando de causa prædicatur effectus necessarius, qui modus complectitur omnes causas per se, ac propterea

rea ab Auctoribus vocari solet modus causandi per se : Huic opponitur causa per accidens, quæ de agitur in Metaphysicis.

Καὶ ὅτι πρῶτον seu universaliter primum dicitur, quando prædicatum inest subjecto omni, semper, per se & reciprocè. Unde patet, quòd hic gradus reliquos duos includat. Alterum requisitum est PRIMITAS, involvens respectum ad alias propositiones, quarum nullam se priorem agnoscit, si autem habet priorem, ob immotam certitudinem suam, ibi, ubi adhibenda est, instar primæ æstimatur. Tertium est IMMEDIETAS significans propositionem per nullum medium à priori demonstrari posse, quia non habet tale quid, vel si habet, jam antè demonstratum esse, ut demonstratione alià opus non sit. Nonnulli statuunt primitatem & immedietatem nomine quidem disconvenire, in significatione autem æquipollere & unum idemq; denotare: Id verò minimè concedendum esse atq; formaliter adhuc differre palà est. Quartum NOTIORITAS, non tantum τῆ φύσιν naturà, seu simpliciter, sed etiam πρὸς ἡμᾶς, seu quoad nos, non quidè propter inventionem, sed accuratam rationem cognoscendi, h. e. notiora & priora naturà, nobis quoq; debent esse notiora, ut in notitiam demonstrandarum, demonstrativè deducamur. Quintum PRIORITAS, quæ differt à primitate. Nam sicut hæc propositiones alias respicit, ita illa unicè ad conclusionem referenda est, quatenus hac priora esse debent demonstrandi principia, & naturà & quoad nos. Ultimum requisitum ponimus CAUSALITATEM conclusionis vel rationem causandi; nõ intelligendam tantum de consequentià seu causà illationis, sed potissimum de causà proximà rei ipsius, quæ per conclusionem inferri debet.

V.

Dividitur ostensivus ἢ διότι in demonstrationem πρῶτως & δευτέρας dictam. Illa demonstrat affectionem à subjecto realiter distinctam per causam realiter distinctam per causam realiter causantem, atque adeò realiter etiam ab effectu suo diversam: Hæc affectionem analogicam per causam

B

vir-

virtualiter causantem elicite. Ubi Causa virtualiter causantes sunt vel ipsa essentia subiecti, vel unum attributum respectu alterius, non quod unum ab altero causetur, sed quia si causaretur, ejus causa esset. Hinc fundamentum divisionis ac natura utriusq; divisionis ratione principiorum demonstrandi diverforum ex dictis facile intelligitur. Quibus accedit disparitas affectionum demonstrandarum, quæ vel vera accidentia sunt, vel conceptus saltem secundi quoad nostrum concipiendi modum ex essentia subiecti fluentes. Ita rationalitas in homine est causa realiter causans risibilitatis & docibilitatis, quia risibilitas & docibilitas realiter distinguuntur à rationalitate & ab illa realiter causantur. Contra divisibilitas & mensurabilitas in quantum causantur ab extensione, non verò realiter, sed virtualiter, quia idem sunt cum extensione, ut tamen extensio ratio sit à priori illarum affectionum.

V I.

Syllogismus Apodicticus τὸ ὄν ἐστὶ, qui ex effectu necessario ac immediato, vel causam remotam parit scientiam quod res sit vel non sit. Non autem æstimandum est divisionem esse æquivoci in sua æquivocata, ut demonstratio τὸ ὄν non proprie, sed saltem quoad nomen talis sit, uti *Avicenna* statuit referente *Zabarella l. de speciebus demonstr. c. 8.* Item *Collegium Conimbricense* quando l. post. c. 10 q. 1 a. 3. nomen, inquit, demonstrationis dici de demonstratione potissimum, & de demonstratione τὸ ὄν solum ut analogum per proportionem. Gignit enim ex necessariis & evidentibus principiis scientificam, hoc est, certam & evidentem conclusionem: sive n. affirmativè concludat: quod res ex effectu immediato ac adæquato evincit causam existere, sive negativè, quado ex causa remota negatione ostendit effectum non esse, utroq; modo scientiam parit; cum alias sub nomine demonstrationis ne venire quidem posset. Nam quemadmodum causa proxima sororio nexu cum effectu immediato coheret; ita effectus evidenter ac infallibiliter suam demonstrat causam, v. g. Queritur an stirpes sint animatae? Aff. quia nutri-

nutriuntur & crescunt; hæc demonstratio est ab effectu, quia pro mediò terminò habet ipsum effectum, et si fieret syllogismus, erit demonstrativus in hunc modum: Q. nutriuntur & crescunt, illa sunt animata. Stirpes nutriuntur & crescunt. E. sunt animata.

Pari ratione datur immutabilis ratio inferendi non-existentiam effectus, ex negatione remotæ causæ, v. g. Hic vel ille nõ inebriatur, quia non bibit: hinc potare nõ est causa proxima ebrietatis; talis enim est spirituum animalium perturbatio in cerebro è vaporibus vini, eã tamen sublata tollitur ebrietas. Ut adeò cur scientia demonstratio $\tau\delta\ \delta\tau\iota$ audiat nullum sit dubium, quæ tamen distinctionis gratiã, scientia, quòd res sit, vel non sit, dicitur, licet aliàs scientiæ cur res sit neque certitudine neque evidentia cedat, nisi pressius scientiam sensu Aristotelico, ut communiter sit, accipere velim. Nunc liquet, quid de tertio modo demonstrationis $\tau\delta\ \delta\tau\iota$ sit sentiendum, quem faciunt *Philoponus*, & ex eo *Scaliger*, cum videlicet neque à causâ remotâ rem concludimus, neque ab effectu ad causam progredimur, sed ex aliquò inseparabilè adjunctò aliquid deducimus. Cum enim istud adjunctum non sit adæquatum effectui, & per consequens non vera causa, demonstratio propriè dicta hic loci exulabit.

Cæterùm demonstratio $\tau\delta\ \delta\tau\iota$ magnò cum usu in demonstrationem $\tau\delta\ \delta\tau\iota$ converti potest, per regressum, ut vocat demonstrativum; quippe sæpius effectus notior est suã causâ, ut demonstratio ab effectu faciliùs exstruatur. Neque propriè circulus hoc modò committitur, intellectus enim noster consideratis istius rei causæ cum effectu necessariæ conjunctæ conditionibus, ex earundem collatione deprehendit tandem rem istam effectus illius causam proximam & immediatam, per quam postmodum aditus patet ad illam difficiliorem demonstrationem, cujus medium est causa.

VII.

Jam facilè colligere est, unicè demonstrationes dari in disciplinis quibusdam Theoreticis. Ubi primò locò ponimus

B 2

Phy-

Physicas, quæ & demonstrationes τῆ δίδτι. & τῆ ἔστῃ agnoscit; licet non negemus plurimas in parte speciali ab effectu defumi: essentia enim rerum planè nobis non sunt cognita, ut effectus aded nos in cognitionem causarum constituentium res naturales deducant. In Mathesi vero dari demonstrationes vel unicuique Euclides docet. Falsum igitur est, quod intra pomeria Philosophiæ de novò introducere ausus est *Sonerus*, *Comment. in libros Metaphys. Aristotelis* p. 368. Entia Mathematica à vera ratione scientiæ deficere. Sequutus *Simplicium* 1. *de animat.* I. & III. *de animat.* 36. *Alexandrum* in *Proæm.* 1. *Prior.* In *Metaphysicis Caspinius* veras demonstrationes esse negat, concedit & hoc de primo Ente *Piccartus*, *Philosophiâ Aldorpbina disp.* 17. p. 193. Sed hæc commenta sunt, & ne ullam quidem merentur probabilitatem: ac proinde si vel enarremus, levitate sua hifcunt & fatiscunt. Enimverò dantur affectiones de Ente, ut unum, verum, bonum. De Deo prædicantur immutabilitas, immortalitas, simplicitas & vita, quanquam hæc posteriores affectiones non Metaphysicæ, sed Pnevmaticæ sunt, quod Piccartum minimè latere debuisset.

Hæc igitur disciplinæ cùm in nudâ animi tantùm contemplatione acquiescant, & earum subjectum perpetuum & immutabile profus sit, non repugnat scientificas esse. Perpetuò enim eadè demonstrandi methodo sic esse res, cognoscit intellectus; sive de iis quæ ab intellectu humano excogitata, sermo sit, sive de iis, quæ fixam stabilemq; sedem in naturâ habent. Removemus itaque I. Practicas (loquimur ex hypothesi) scientias, ex universa Philosophia Practica. Humana enim negotia, de quibus Politica agit planè incerta sunt, & ab arbitrio humano profecta, quibus nihil magis est liberum atq; contingens: in quam sententiã consensisse etiam *Aristoteles* videtur, quando i. *Nicomachiorum* negat τῶ ἀειβῆς in iis querendum esse, sed satis esse, παχυλῶς καὶ ὑπόπτῳ ἀληθῆς ἐνδείξασθαι: Pergit ἔ τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, καθὼς ἢ ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάσιν, ὥστε δοκεῖν νόμο μόνῳ εἶναι φέσει δὲ μὴ. Idem planè & *Theophrasto* *Eresio* Aristotelis discipulo,

pulo, & ejus vestigiis maximè insistenti, visum fuisse, arguit il-
 lud ejus olim vulgò jactatum proverbium : *τύχη τῆ θνητῶν*
περὶ γυμνῶν & ἐπιβυδία. Sanè si omnia in vitâ civili ab homi-
 num nutu pendent non potest civilium rerum scientia dari. Præ-
 terea ipsimet adversarii consentiunt actionem, & opus evertere
 nomen scientiæ, eò quòd ab humanâ voluntate pendeat & se a-
 liter habere possit: Ob id benè, ut sibi videntur, distinguunt in-
 ter scientias practicas & artes practicas: Quòd ars sit habitus
 cum rectâ ratione effectivus: Scientia practica habitus rectâ
 ratione consulens quid & quomodo agendum? At si denomi-
 natio rei, quemadmodum in Practicis par est, à fine desumitur, o-
 mnis hæc evanescit subtilitas: Cognitio præcedit, actio se-
 quitur. Hinc non sufficit ad habitum demonstrativum, ut mul-
 ta intermedia cognita nobis atque perspecta sint, nisi & specu-
 latione contentus sit. Concedamus vero tantisper dari scienti-
 am practicam, quid non inde absurdi evenier? Omnes sanè
 artes & liberales & illiberales hoc modo scientiæ salutabuntur,
 nam & mente delineant opus & ratiocinantur de agendis. Ne
 verò ad sordidos dilabamur homines, de Facultate Medicâ res ip-
 sa loquitur, plurimæ ibi habentur cognitiones certissimæ: jam
 cum Medicus non nudè cognoscat, sed agat, sineq; suo haud ra-
 rò excidat artem meritò istam appellamus. Rectè *Galenus, li-*
bro de optimâ sectâ ad Thrâsybulum aliisq; in locis: Hujus ar-
 tis principia & præcepta perpetuæ esse verita-
 tis, sed Medicinam conjecturalem vocari à
 fine non à præceptis. II. Omnes habitus instrumentales,
 & per consequens Logicam, contrâ *Viotum, de demonstratione l.*
5. c. 4. & recentiores nonnullos. Nam etiam si Aristoteles pri-
 mò egerit de Homonymis, Synonymis & Paronymis ac deinde
 accessum faciat ad Categoriarum tractationem, non exinde ta-
 men probabitur, definitiones idè esse præmissas, ut media forent
 demonstrationi accommodata. Neque Aristoteles veritati
 quicquam præjudicare pörest. Eodem modo de Gramma-

tica subsumere liceret; quippe quæ prius quam ad vocum constitutionem deveniat literas & syllabas proponit. At ratio methodi id postulat. Neque juvat illos excipere Logicam esse præcipuam partem philosophiæ ipsamque modalem philosophiam, cujus beneficio noster intellectus ad eam præmunitur, ne usquam inanem opinionem pro veritate deprehendat; vel si forte in errorem prolabatur, mox pedem feliciter inde retrahat: Verba enim non argumenta auribus nostris obversantur. Error errorem obrudit, dum ubique demonstrare allaborant. Quærebatur an Logica sit scientia & pars philosophiæ? probatur, quia usu suo se ubique diffundit. Indignam Philosopho responsum. Nos asserimus Logicam non esse partem philosophiæ, & in specie non Theoreticâ, ac per consequens nihil demonstrare posse. Probatur

a) Quia Logica non propter se addiscitur, sed propter alios superiores habitus, quod si illi non essent, frustra addiceretur Logica.

β) Finis Logicæ ultimus non est nuda animi contemplatio, quia dirigere operationes intellectus est aliquid agere: actio autem contrariatur scientiæ. Quia scientiam facere, quæ speculativa non est, idem est, quam cum rectâ ratione inanire. Ut omittamus argumenta alia, quibus debile novatorum fundamentum & quæ superstruitur, vitiosissimam philosophiæ definitionem feliciter alii excidère.

VIII.

Demonstratio per impossibile est, per quam probatur aliquid verum esse, quia aliàs sequeretur absurdum. Hoc demonstrandi genus est longè universalius prioribus. Nam principio cognoscendi simpliciter nititur, neque solum conclusiones sed principia demonstrat, nõ quod per se & directè in scientiis opus sit ejusmodi demonstratione, sed quando hominum ignorantia & protervia id postulat. Negatis enim istis principiis aliquid incongruum enascitur, idemque simul esse & non esse, per hanc demonstrationem efficitur. Non autem Syllogismus est

est falsus, vel etiam topicus, sed verè demonstrativus ac scienti-
ficus ex evidentissimis propositionibus tam infallibiliter con-
cludens, ut sana mens nihil in contrarium asserere possit. Quò igitur
jure hanc ignobilissimam & tantùm secundùm quid demò-
strationem Aristoteles dixerit, in aperto est positum: Et frustra
profectò ejus sunt interpretes, qui plausibiliore verborum co-
thurno duriuscula ejus dicta non tantùm exornare ubique
presumunt, sed & huic sententiæ firmisimè inhaerent. Scilicet
ut Aristotelem supra humanam sortem evehant, ut eum
nunquam errasse confirmet.

S. D. G.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

S.D.C.



WITTENBERG, DISS., ERGÄNZEND, 2.

1668/1708

ULB Halle

3

001 507 230



7A-502

1077





62.40.
2,3
31

2. D. B. V.
EXERCITATIO LOGICA
DE

SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO,

Qvam,
In Electorali ad Albim Academia

Sub
P R Æ S I D E
M. JOH. CHRISTOPHORO

FUGMANNO, Beltzigenfi Sax.

*publica eruditorum ventilationi
exponet*

Auctor & Respondens
THEOPHILUS BRUNO,

Golnoviensis Pomeranus,

In Auditorio Veteri

Ad d. 2. Januar. Ann. DC. LXIX.

WITTEBERGÆ; Excudebat Joh. Hake.

1669

942

